

Bibliothèque numérique

medic @

**Arrachart, Jacques-Nicolas - candidat
/ Simon, Jean-François - président. -
De raro suturarum usu**

1764.

**Paris : Typis P. AL. Le Prieur,
Regii Chirurgorum Collegii
Typographi.**




Cote : ms 2343, n°1



COLLECTIO

THESIUM


2






COLLECTIO


THESIUM




Ms 2343
(anci' come suite 490)




C O L L E C T I O
T H E S I U M Q U Æ
R E G I I S I N S C H O L I S
C H I R U R G O R U M H A B I T Æ
F U E R U N T A B A N N O
1 7 6 4 U S Q U E
A D A N N U M I 7 7 0





I 7 6 4





V E R S


*Adressés à M. ARRACHART,
Membre du Collège & de l'Académie
Royale de Chirurgie, &c... Oculiste ;
sur l'Opération de la Cataracte qu'il a
faite, le 23 Septembre, à M. son Pere,
aussi Membre du Collège & Académie
Royale de Chirurgie.*

TU viens de rendre la lumiere
A qui t'avoit donné le jour ;
Et l'Art établissant le plus juste retout
Entre un Fils & son Pere ,
Vous acquitte tous deux. Il te doit aujourd'hui
Le bienfait précieux que tu reçus de lui.

Par M. ALIX,
Avocat au Parlement.

Extrait du Journal de Paris, du 12 Novembre 1777. N° 316.

*et se trouvent dans l'histoire de la chirurgie in 4.
tome 2.^e par m. pevythe. page 607.*







V E R S

*Adressés à M. ARRACHART, Membre du Collège
et de l'Académie Royale de Chirurgie, etc. . .
OCULISTE ; sur l'Opération de la Cataracte
qu'il a faite à M. son Père, aussi Membre
du Collège et Académie Royale de Chirurgie.*

Tu viens de rendre la lumière
A qui t'avoit donné le jour ;
Et l'Art établissant le plus juste retour
Entre un Fils et son Père,
Vous acquitte tous deux. Il te doit aujourd'hui
Le bienfait précieux que tu reçus de lui.

Par M. A L I X .

Ext. du journ. de Paris, du 12 Nov. 1777.



D. O. M.

DE RARO SUTURARUM USU.

THESES

ANATOMICO-CHIRURGICÆ.



ODO contra solitum ordinem unitas disjungere partes, modò à se invicem separatas, pro-ut œconomia animalis leges exigunt, coadunare, Chirurghi munus & officium. Licet ars nostra saluberrima, in operationibus, præcipuè posita videatur, innumeris tamen indiget cognitionibus, quæ manuale medendi munus, in omni casu, prudenter regere debent. Quid Chirurgia absque Physices & rerum Anatomicarum præviâ luce? Quonam-modo naturæ adjutor ac interpres Chirurgus, machinæ humanæ detrimenta refarcire poterit, nisi structuram, figuram, situm, nexum, usus deniquè partium, probè calleat?

A

A

SUTURARUM usum perpendere, fert animus. Sed antequam ad propositum veniamus, plura de partibus Suturae obnoxiiis, tegumentis communibus nempe, musculis, & intestinis, in antecedentibus exponenda veniunt.

TEGUMENTA communia, plura licet ab Antiquis laudata, duo tantum numerantur, *cutis & membrana adiposa*. Quadruplici partium serie conflari cutim, volunt recentiores Anatomici. Prima & interior, caeteris crassior, multiplici vasorum genere perfusa, mirando fibrarum diversi generis ordine inter-texta, extensionis & contractionis capax, *corii* sive *cutis* nomen retinuit. Exterius assurgunt papillae, ab expansione nervorum cutis oriundae, pro variis locis diversi-modè configuratae, sublata cuticulâ conspicuae; dant corpus *papillare* dictum. Substantiâ circumdantur papillae molli, mucosâ, tenaci, reticulatim dispositâ, tot foraminulis, quot assurgunt papillae, pertusâ: hinc tertia pars, corpus *reticulare* seu *mucosum* nuncupatur. Exceptâ *unguium* regione, exterius caeteras super expanditur quarta cutis pars, *cuticula* seu *epidermis* vocata, quae squammis minimis, sibi mutuo adherentibus, coadunatisque constans, membranam tenuem, plus minus-ve pellucidam, innumeris perforatam poris, partibus subjectis per expansionem vasorum annexam, ab illis tamen facile solvendam, nulloque sensu donatam, constituit.

TOTUM illud commune involucrum, adheret partibus quas involvit, mediante substantiâ membranaceâ, tenui, cellulosa, & adiposo liquore plus minus-ve fluido, ut plurimum, turgidâ. In omni corporis habitu, non una eademque hujus-ce textus quantitas, nec crassities: nullam corporis partem, celluloso carere textu, demonstrat inspectio Anatomica. Non verò tantum infra cutem conspiciendus textus ille: Corporis etiam penetrat cava: inter fibras cujus-cunque generis, membranaceas scilicet, nervosas, ligamentosas, musculosas, atque inter ipsa-met viscera se se expandit, vasa minima firmat, ubique tandem, vinculi vices adimplet.

CORPORIS humani motus diversi, musculorum ope absoluntur; musculi autem sunt massae quaedam, ex fibris diversi-modè dispositis, ut plurimum rubris & albis, conflatae. Dividitur musculus in medium, quod quidem *venter* sive *caro* audit, & extremitates, quas improprie admodum, *caput* & *caudam*, *originem* & *insertionem*, *punctum fixum* & *mobile*, plurimi vocavere. Multis fibrarum sibi plerumque parallelarum fasciculis, membranâ cellulosa inclusis, & fibrillis transverse positis, componitur venter.

3

Fibræ illæ, in utroque, ut plurimum, extremo, albescunt, indurefcunt, & breviori textu cellulari coercentur, vel in funiculum coeunt, tuncque *tendinem* constituunt, vel ad instar membranæ expanduntur, & *aponevrofim* efformant.

INTESTINA magni sunt canales, à ventriculo ad anum usque protensi, quatuor tunicis constantes; prima quidem à peritonæo oritur & *communis* dicta, secunda *musculosa*, ex duplici fibrarum ordine constans, longitudinalium scilicet, & annularium, seu potius circuli segmenta efformantium, tertia *nervea* seu *tendinosa*, glandulis & vasis omni-genis instructa; quarta denique *villosa*, fines nervorum & principia sustinet. Quæque omnes, textu celluloso stipantur.

UNIENDA fore recentis vulneris labia, situ, quiete, apparatu deligatorio convenienti, vel demùm emplastris glutinantibus, neminem Chirurgum latet. Sed hujus-ce methodi non semper felix eventus. Quando longiùs disjuncta, nimiùm dehiscunt, profundi & obliquè inflictæ vulneris labia, tunc *incarnanti* fasciâ, non fit quandòquè appropinquatio; ad futuram igitur *actuaalem*, five *cruentam*, summâ cum cautelâ rarissimè instituendam, confugere debet Chirurgus.

CASUS in quibus non solùm Antiqui, sed etiam Neoterici Sutas damnant, ac improbant, hi sunt, 1^{us}. in vulneribus venenatis, aut dilaniante telo inflictis; 2^{us}. in iis quæ in thoracem penetrant; 3^{us}. in vulneribus quæ dolore, validâ inflammatione, convulsione, aut apostematibus stipantur; 4^{us}. in contusis; 5^{us}. in profundis, aut putrido aeris attractu vitiatæ; 6^{us}. quandò majora discinduntur vasa; 7^{us}. quandò os detectum, corruptum, aut fractum deprehenditur; 8^{us}. quandò ingens portio carnea, absumpta est; 9^{us}. tandem, si in vulnere, corpus aliquod hæreat infixum.

IN amplioribus, profundisque vulneribus, convenit uniens fasciatio, cujus hic est apparatus. Sumitur fasciâ, in duo capita convoluta, tres circiter ulnas longa, latitudine ad duos transversos digitos accedens, foramine in medio donata, ut dùm unum fasciæ caput per hoc trajicitur, vulneris labia, firmiùs stringi queant &c.

IN obliquis transversisque vulneribus, persæpè inutilis erit deligatio, tuncque emplastra glutinantia apponere debet Chirurgus. In horum usu attendendum, 1^o. ut labia vulneris adducantur, dùm fit applicatio, 2^o. ut sint parùm calefacta, 3^o. ut manu firmior cohæsiõ fiat, 4^o. tandem, ut utrique lateri parti

disjunctæ, ad distantiam unius transversi digiti à vulnere, applicentur. Solum partis situm sufficere, in coadunatione vulnery simplicium, quot probatur exemplis?

PER *Suturam cruentam*, intelligere est operationem Chirurgicam, quâ mediantibus acu & filo, vulnery labia coadunantur. Duplex est *Nodosa* scilicet, & *Convoluta*: nam *Clavata* & *Suturæ Pellionum* usus obsolevit. E Therapeiâ Chirurgicâ, ut crudeles noxiæque, jure ac meritò expunctæ fuerunt.

NODOSA seu intersecissa sic celebratur. Quò profundius est vulnus, eò magis curva, fortis debet esse acus, filo capaci, vel duplici cerâto instructa. Pro vulnery conditione, semel tantum; five bis, vel ter pertunduntur labia, ad unius transversi digiti ab extremitatibus distantiam. Has extremitates minister jungit & comprimit, dum Chirurgus filum comprehensum nodo firmat. Factâ lege artis *Suturâ*, plumaceoli balsamicis imbuti, vulnery imponuntur, emplastra glutinantia, pro re natâ applicantur, cum spleniis & fasciis fit deligatio, quæ repetenda, donec coaluerint vulnery labia, quo tempore fila remonentur.

IN simplicibus labiorum vulnerybus, nunquam; in labio autem leporino, vix admittendam censemus *Suturam* intortam. Sola hic sufficit accurata uniens fasciatio, quandoque tamen, licet rarissimè, *nodosæ* *suturæ* auxilio firmanda. A suis fautoribus sic instituitur intorta labii leporini *Sutura*: ægro commodè sito, internâ labii fissi parte, à frænulo separatâ, labiorum callositatibus, æquali scalpri, non verò forcipis, incisione remotis, cruentas vulnery oras, adducit Chirurgus, easque acu vel unâ, vel duabus, vel tribus, pro vulnery longitudine, transfigit, gengivis verò laminam plumbeam imponit, ne acuum extremitatibus lædantur. Deinde fit *Sutura*, ab infimâ acu incipiendo, filum primò in orbe, dein decussatim volvendo &c. Postea resectis acuum extremitatibus, spleniisque suppositis, plumaceolo aquâ vulnerariâ imbuto, fundâ &c. deligatio absolvitur.

QUANQUAM *Suturas* illas à foro Chirurgico prorsùs amandare; fit animus, attamen, ut à recentiorum mente non recedamus, quibusdam in casibus necessarias fore, cum illis dicemus. Sitûs, deligationis & agglutinantium topicorum defectu, in medium proferri *Suturam cruentam*, quis inficias ibit?

INNUMERIS constat observationibus, mirum in modum præstitisse, debitas deligationes situmque partis. Prætereà, è *Suturis* oriunda accidentia & naturæ in effectu adminicula, totidem sunt invicta rationum momenta, quibus contra *Suturarum* usum insur-

gere, Veterum scriptis, quotidianaque ducti experientia, possumus.

DOLOR, inflammatio, divulsio, tensio, febris, vigilia, convulsio, dilaceratio partium, præcipua sunt Sutararum accidentia, quæ nec semper etiam iteratis venarum sectionibus, nec medicamentis, sive topicis, sive internis, cedunt. Fila diligenter avellat Chirurgus, alioquin suppuratio fit & simplex vulnus in complicatum vergit. Tum apponantur medicamina propria, adhibitis fasciacione & situ.

LAUDATIS jam lenioribus mediis, Saturas prætulere Veteres; quia quibusdam in circumstantiis, facilius juxta ipsos celebrantur, quam debita fasciatio instituitur. Si feliciter quandoque successerint, cautelis, ægrotanti sæpè sæpius damnosis, attribuat eventus. Quoties verò, irritæ fuerunt istæ cautiones, nonnè innumera è Sutaris pullularunt accidentia, in vulneribus vel simplicioribus? Quot rursus accidentia, quoties de novo diducta fuere vulnerum oscula? Sed quid ego tam multa? Chirurgorum menti non favent, faustæ promptæque curationi adversantur.

TUTOR leniorque semper anteponenda methodus, lenissimaque prius tentanda remedia, ne scilicet, enormibus absque necessitate discruciatu doloribus ægri, in ipsum-met vitæ discrimen, temerè & inconsultò, adducantur.

IN profundis vulneribus, quò majorem resistantiam, in ansâ fili comprehensæ partes, offerunt, eò magis timendum erit, ne dolor, inflammatio, distractio & alia, quæ indè sequi possunt mala, superveniant.

IN vulneribus faciei, vestigia sui etiam post vulneris sanationem; fili notam, novasque in cute cicatrices, relinquunt Sutura. *Fab. Aquap.* (1), *Heisterus* (2), *Belloste* (3), aliique, Saturas in faciei vulneribus reprobant; glutinantium verò usum, deformitatis vitandæ causâ, præscribunt. Verùm enim verò, quocunque modo in facie inflictum fuerit vulnus, fasciatio debita & Sutura sicca, magni semper erunt momenti: his mediis, labiorum vulneris coadunatio, fat commodè fiet; eò facilius cicatrix promovebitur, quò partes discissæ, vel laxiores erunt, vel ossibus magis fultæ. Illa insuper methodus, tumefactioni, inflammationi, dolori aliisque id genus accidentibus, ansam non præbet (4).

(1) Part. 1^a. lib. 2 de vuln. (2) Part. 1^a. lib. 1. cap. 1.

(3) *Chirurgien d'Hôpital*, Part. 1.

(4) Vid. Dissert. clar. *Delafaye* in actis reg. Academiæ Chir. tom. 1. p. 608 & seq. in quâ Sutura intorta propugnatur. In illâ sic legere est . . . » Plus

ABSQUE Sutura sanantur linguæ vulnera ; facculus à clar. *Pibrac* (1) ingeniosè inventus , illas longè superat.

RATIO , experientia , observationesque innumeræ , pravum & periculosum , in colli vulneribus , Sutarum effectum indicant (2).

PENNATAM Sutura , à multis commendatam , in vulneribus abdominis , prorsus rejiciendam censemus (3). Curationem absque Sutura , post celebratam sectionem Cæsaream , faustè promptèque evenire , hujusce actûs præsidis , DD. *Delafaye* , *Urban* (4) , *Caqué* (5) , & aliorum observationes affirmant.

NON consuenda intestinorum vulnuscula , naturæ verò committenda : à Sutura etiam , vulneribus in majoribus , quo ad fieri poterit , abstinemus , si quidem gravissima sæpè sæpius ex indè oriuntur accidentia , quæ vulneratos , citiùs otiùs-ve , è medio tollunt. Eòdem accedit , quòd illarum partium vulnera , propter insignem tunicarum tenuitatem , non possint sibi invicem coadunari , ut potè cum peritonæo , vel omento , vel aliâ quâcumque parte , conglutinata (6) : Non mirum igitur , si Chirugi , Pellionum etiam Sutura à vulneribus intestinorum , procùl arceant ; cum repetita compunctio , gravem inflammationem , acutissimos dolores , convulsiones , singultus , gangrænâ , quin & ipsam mortem , parere soleat ; itaque ut paulò mitiùs & securiùs agant , filum aliquod

» les deux parties , sur lesquelles j'opérois , laissoient d'intervalles entre elles ,
 » plus je devois craindre leurs efforts sur les épingles ; ainsi , il falloit que
 » l'appareil aidât à leur résister ; c'est souvent de là , que dépend le succès de
 » l'opération. Je fis croiser sous le nez deux bandelettes , dont j'appliquai les
 » extrémités , qui étoient couvertes d'emplâtre d'André de la Croix , sur les
 » joues , pour les tenir rapprochées . . . infra addit . . . » Ne croyant pas
 » la réunion assez solide , pour résister , à l'action des parties , j'employai le
 » bandage , pendant quelques jours . » in aliâ ejusdem observatione . . . » Cinq
 » jours après l'opération , je trouvai un désordre affreux , les épingles étoient
 » tombées , les endroits par où elle savoient passé , déchirées , &c. . . pour
 » suppléer à ce que ces deux points n'avoient pu faire , je me servis de deux em-
 » plâtres agglutinatifs , &c. . . Sutura illâ sicca , optatam sanationem obti-
 nuit , quæ quidem , si lacerationem spectes , prompta fuit.

(1) Act. Acad. Reg. Chir. t. 3. p. 418.

(2) *Tulpius* in 50^a obs. p. 91.

(3) Vid. Obs. DD. *Pibrac* , *Vacossain* , *Pipelet* in Act. Acad. reg. Chir. tom. 3. p. 409. & seq.

(4) Ibid. tom. 1. pag. 640. & seq.

(5) Ibid. tom. 3. pag. 411.

(6) *Littrii* Obs. in Act. Acad. Reg. Sci. an. 1709.

ceratum, subtiliori acu, per mesenterium ducunt (1), & illius ope, quam accuratissimè fieri potest, vulnus intestini oris externis applicant, & filum diligenter firmant, ut neque intestinum retrogredi, neque quidpiam ex illo, in ventrem destillare queat.

IN tendinum vulneribus, Suturam, ne pars immobilis remaneret, instituere solebant Veteres. Hanc methodum rejiciebat Galenus (2), ob dolores, convulsiones, aliaque pessima accidentia: istam quoque reprobatur immortalis Paræus (3) noster. Avicennas (4), Salicetus (5), Rogerius (6), Brunnus (7), Chalmetaus (8), Lanfrancus (9), Andreas à Cruce (10), aliique Antiquiores optimæ notæ Chirurghi, idem sentiunt. Vix tamen intelligo, cur nimis periculosam illam non crediderint, superioris sæculi auctores practici, scilicet Veslingius (11), Severinus (12), Wurzius (13), præcipuè verò Bienaisius (14), & alii qui eam in praxi reduxerunt, faustoque cum successu, hanc se instituisse asseverarunt. Celeb. Petit (15) Dissertatio, sitûs & deligationis, non solum in tendinum vulneribus, sed etiam, in omni quocunque vulnere, efficaciam comprobatur.

(1) *Illustr. De La Peyronnie* Act. Acad. Reg. Chir. tom. 1. p. 339.

(2) Lib. de comp. Medic. (3) Lib. 9. cap. 36 (4) Lib. 4. tract. 4. cap. 2. (5) Lib. 2. cap. 9. (6) Lib. 3. cap. 13 (7) Lib. 1. cap. 5. (8) In Chir. lib. 2. cap. 2. (9) In Chir. pract. cap. 4. (10) Lib. de vuln. tract. 2. lib. 2. cap. 8. (11) Obs. & Epist. 15. (12) De effic. Med. lib. 1. cap. 123. (13) De vuln. cap. 14. (14) Plures scriptores, illius operationis gloriam adscribunt Bienaisio nostro. (15) In Acad. Reg. Sci. an. 1722. & dans le *Traité des maladies des os*, tom. 2.

Has Theses, DEO JUVANTE, & Præsidente M. JOANNE-FRANCISCO SIMON, Consiliario, Serenissimi Bavarie Electoris Chirurgo Primario, Regie Chirurgorum Academiae Socio, &c. tueri conabitur JACOBUS-NICOLAUS ARRACHART, Parisinus, in alma Universitate Parisiensi, Artium liberalium Magister,

P A R I S I I S,

IN REGIIS CHIRURGORUM SCHOLIS;

Die Sabbati 10^a. Martii, à sesqui-secundâ post meridiem ad septimam, Anno R. S. H. 1764.

PRO ACTU PUBLICO

ET

MAGISTERII LAUREA.

Typis P. AL. LE PRIEUR, Regii Chirurg. Collegii
Typographi.

